



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

IV. Adalu[n]gus seu Adelu[n]gus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

Scribit Adelbertus Abbas Heidenheimensis in commentariolo de eodem Monasterio, sub hoc Gercho Heidenheimense Monasterium, ab ordine S. Benedicti ibidem per S. Wunibaldum plantato, ad canonicos sæculares translatum esse. Quod Anonymus Hasenrietanus Erchenbaldo adscribit, ut infra videbis. Obiit Gerochus IV. Nonas, hoc est, secundo die Februarij anno Redéptoris DCCC. II. In Calendario seu Necrologio, quod Pontificali Eystettensi insertum est, notatur ad VII. diem Iulij. *Irmengart obiit, mater Episcopi. G. quod interpretor Gerochi, nisi quis malit Gundackari.*

III. Aganus seu Agannus.

Tertius est Aganus cælesti dogmate plenus.

Præfuit annis XII. X. ut habet Gundackarus, non ut Bruschanus Catalogus XVII. Excessit ex hac vita. VIII. Idus, hoc est, VI. die Nouembris.

IV. Adalungus seu Adelungus.

Laudibus eximiis Adalung micat ordine quartus.

Ad Episcopi officium euectus anno Christi DCCC. XIX. Præfuit annis XXII. Finem viuendi simul & gregem Dominicum pascendi fecit VIII. Kal. Augusti, hoc est, die S. Iacobi Apostoli.

V. Altinus seu Altunus.

Altine quos pastor sequitur, virtutis amator.

Obiit Pontificatum anno DCCC. XLI. tenuitq; annis XVII. Mortuus VIII. Kal. Martij, hoc est, XXII. die Februarij. Consensu & auctoritate huius Præsulis, leuatum est ex terra corpus B. Solæ Abbatis, de quo hæc Ermenoldus Diaconus in S. Solæ vita Tom. IV.